

CONTINUATIO  
DISSERTATIONIS ACADEMICÆ  
*De*  
RESPECTU PARENTELÆ,

---

Quam

*Consensu Ampliffimæ Facultatis Philosophicæ in Regia  
Academia Aboënsi,*

PRÆSIDE

*Mag. JOHANNÉ BILMARK,*  
*Historiar. ac Philosoph. Pract. Professore Reg. & Ord.*

PRO GRADU

*Publice examinandam proponit*

*JOHANNES SUNDER,*  
*Westrobtöniensis,*

*In Auditorio Majori die VIII Aprilis MDCCXCV,*  
*Horis ante meridiem consuetis.*

---

*ABOÆ,*

Typis FRENCKELLIANIS.

à  
Monsieur  
**PIERRE ADOLPH EKORN,**  
*Juge Territorial,*

Monsieur,

**Q**uoique je suis effectivement persuadé, que Vous, Monsieur, trouvez plus de plaisir à faire du bien, qu'en être loué; néanmoins pour ne passer pour le plus ingrat, si à l'occasion, qui se présente à moi, je manquerois à Vous donner quelque gage de ma reconnoissance pour tous les bienfaits, dont il Vous a plu me combler, Vous étant sur tout rédevable de ce que je puisse aspirer au Laurier; c'est pourquoi j'ose Vous dédier cet essai Academique, en Vous priant, de vouloir le recevoir avec la bonté qui Vous est si naturelle. Au reste permettez, Monsieur, que mon cœur parle: Tout le tems que je respire, je ne cesserai jamais de Vous souhaiter toute la prospérité due à un homme de Vos merites, étant avec la plus grande vénération jusqu'au dernier soupir de ma vie.

Monsieur

Votre très humble et très obéissant  
serviteur

JEAN SUNDER.



§. VIII.

**P**rævidemus autem, obijci nobis posse ab eis, qui matrimonio inter ascendentes & horum descendentes Jure Naturali prohibitum esse opinantur, matrimonium esse societatem æqualem, intimamque, quæ conjuges decet, familiaritatem cum veneratione, quam liberi suis præstare debent parentibus, nequaquam posse consistere. Sed nec nobis desunt argumenta, huic dubitationis scrupulo evellendo idonea. Societatem enim perfecte æqualem, felicitati sociorum promovendæ aptam esse, nemo facile admisit; ineuntur enim societates propter finem, per solitarias vires non obtinendum, voti autem ut compotes fiant socii, justus in singulis negotiis requiritur ordo, sine cujus observantia existeret continua confusio, exitium societati citius ferius acceleratura, si singula membra, ut æqualia, parem sibi assererent auctoritatem; quamobrem etiam in matrimonio rectoria ad minimum requiritur potestas, qua autem perfecta conjugum tollitur æqualitas. Hac quidem de re sicut nemo dubitavit; ita disputatum solummodo fuit de terminis hujus potestatis, patrifamilias ex communi fere gentium consensu asserunt. Præterea notandum venit, quod sicut diversi hominum ad se invicem respectus in societate civili non impediunt, quo minus præstantior cum inferiori sine dignitatis suæ jactura sinceram colat amicitiam; ita quoque nihil implicet, quin muneris, quo alter conjugum si-





ve in republica, five in sua eminent familia, splendor in familiae umbraculis occultetur, tam amore quam veneratione ex eodem fonte, admiratione scilicet perfectionum, quas alter in altero animadvertit, proveniente. Imo si veneratione, quam altera persona alteri debet, matrimonium inter eas redderet illicitum, diversitas quoque conditionum, fons ille venerationis, eundem præstaret effectum moralem; matrimonium etiam imparium, seu Societas Conjugalis inter personas diversæ conditionis ac dignitatis, foret Juri Naturali adversa. Enimvero summa Dei O. M. bonitas cum in aliis, tum in eo elucet maxime, quod cujusvis viri arbitrio reliquerit facultatem, se matrimonio jungendi cum femina cujusvis conditionis, quæ sibi sola placeret, modo de aliis, sibi per legem antea injunctis, officiis nihil ita deroget. Ita enim libertate atque ultroneo futurorum conjugum consensu jucundissima inter hos socios contrahitur amicitia, nunquam obtinenda, si amoris & reverentiæ mutua foret quædam antipathia. Cæterum familiaritatem conjugalem cum reverentia consistere posse, quamvis hoc neget Poëta, ita canens: *Non bene conveniunt nec in una sede morantur - - - Majestas & summus amor*, satis comprobant exempla, quæ Historia tam sacra, quam civilis nobis subministrat. Sic SARA Patriarcham ABRAHAMUM, suum conjugem, non solum tenerrime amavit, sed ut Dominum venerata fuit; quo circa nemo dixerit, hanc venerationem illa, quam liberi suis debent parentibus, fuisse minorem, quum præcipuum venerationis præstandæ motivum ea tempestate contineret Domini titulus. Attamen hoc matrimonium in sacro Codice non solum non improbatur, sed in typum imitandum uxoribus proponitur. AHASUERUS quoque, Perlarum Monarcha, repudiata ob suam arrogantiam Regina VASTI, *Estheram*, Ahalielis Judæi filiam,

filiam, virginem inferioris omnino sortis, duxit uxorem. Similiter Svethiæ Rex ERICUS XIV Catharinam Magni filiam, ignobili loco natam, animi tamen ac corporis dotibus eximie ornatam, tori sociam tollenniter duxit; quo in matrimonio hæc illum ut conjugem familiarissime dilexit, ut Regem summo venerationis cultu fuit prosecuta. In conjugio etiam Reginae cum subdito summam familiaritatem cum veneratione non minori consistere posse, vel matrimonium Britannia Reginae ANNÆ cum Dania Principe GEORGIO satis ostendit; character autem Majestatis plura ac majora venerationis motiva complectitur, quam character pietatis in parentes. His addo, quod si periculum venerationi prius debitæ imminens negotium quoddam, cæteroquin licitum atque honestum, perimeret, filius nullum suscipere posset munus, quo Patris sui fieret superior. Vel ut verbis hoc explicem Illustris J. D. MICHAELIS: *Wer machet es dem Sohn zur Sünde, wenn er ein obrigkeitliches Amt übernimmt, dadurch sein Vater unter ihm stehet? Joseph zog seinen Vater nach Ægypten, in welchem der Sohn mit einer beynabe unumschränkten Gewalt herrschete, und niemand sagt deshalb, Joseph sey ein gottloser Mann, ein Uebertreter des vierten Gebots, und des ewigen Naaturrechts gewesen. Dis kann noch weiter gehen, der Sohn kann, sonderlich in Wahlreichen, König werden, und über seinen Vater das jus vitæ & necis bekommen. Selbst unter den Isräëlitzen scheinen Saul und David noch bey Lebzeiten ihres Vaters den Thron bestiegen zu haben. Ist nun diese Abänderung des respectus parentela nicht sündlich, so wird die viel mässiger und gelindere, die bey der Heyrath einen Sohns mit seiner Mutter oder Mutter Schwester vorgehet, nicht die Ursache davon seyn können, dass diese Eben Mosi so abscheulich und Gottes Rache nach sich ziehend vorkommen (a).*

(a) Vid. *Mosaiches Recht* tom. II. p. 247, 248.

§. IX.

Ut horum argumentorum vim una eludant dissentientes instantia, contendere solent, magnum intercedere discrimen inter venerationem filialem, utpote naturaliter debitam & reverentiam Superioribus præstandam, pacto nempe nixam; illam, cum a natura veniat, esse immutabilem nec ullo remittendam pacto, ac proinde matrimoniis incundis omnino obstare, hanc autem, uti ex pacto ortam, ita contrario pacto, ex libero compaciscentium consensu, posse tolli. Quantumvis vero speciosum hoc videatur argumentum, firmo tamen fundamento non nititur. Reverentiam enim filialem ex sola procreatione non esse derivandam, jam supra ostendimus; quare illam ex potestate parentum in liberos non immerito plerique arcesunt Juris Doctores, simul probantes, potestatem istam niti pacto inter parentes & liberos in consensu præsumto fundato; adeoque reverentiam filialem reapse esse pactitiam, quamvis venditetur naturalis. Quibus addi potest, quod quum naturalem hominum æqualitatem ex præcepto Juris Naturalis agnoscere debeamus, difficulter adsequamur, quam venerationem alter alteri per naturam debeat.

§. X.

Præcipui ponderis argumentum contra matrimonium inter personas in eadem linea habetur illud, quod tali conjugio permisso, jura & obligationes admodum confunderentur, qualis vero confusio quum sit naturæ, ordini in mundo tam physico quam Morali constanter servando jugiter intentæ, prorsus contraria, concludere solent multi, ista connubia Jure etiam Naturali prohiberi. Enimvero si in originem Jurium & obligationum inquiremus,  
facile



facile deprehendemus, eadem hominibus non esse essentialia, sed tantummodo accidentalia, & tantum non omnia sensim per pacta introducta; quare canon quoque in disciplina Morali invaluit: Quod quisque suo renunciare possit juri. Potest itaque Pater, matrimonium cum sua contrahere discipiens filia, juribus, quæ sibi ut Patri competebant, renunciare, & in mariti juribus postmodum acquiescere; quo quidem facto priora jura & obligationes mutantur, & alia eorum loco constituuntur; id quod in aliis quoque negotiis sapius, salvo tamen jure naturali, contingere novimus; minime autem ista inter se confunduntur. Imo quum respectus parentelæ & mutuus conjugum amor non sint ejus indolis, ut alter excludat alterum, nihil impedit, quominus conjuges se ita gerant, ut dubium obveniat aliis, an majori vel amore vel reverentia se invicem prosequantur. Quibus probe pensatis, apparet, jurium & obligationum confusionem frustra prætendi in argumentum, quo firmiter posset concludi, matrimonia, quæ incesta habentur, cum præceptis Juris Naturalis adversa pugnare fronte.

### §. XI.

Notum præterea est, quod præcepta Legis Naturalis sint universalia, quibus singuli homines, ut in magna Dei civitate incolæ, æqualiter obligantur; quare si ex tenore memoratæ legis certi in contrahendo matrimonio gradus essent prohibiti, respectusque parentelæ validum esset prohibitionis fundamentum, gradus isti ex principiis rationis adeo accurate possent definiri, ut omnis de terminis hujus interdicti præcideretur disputatio. Enimvero rem aliter se habere, ex Historia tam antiqua, quam recentiori edocemur. Refert enim PHILO Judæus (a), Persas honoratiores cum suis matribus contrahere matrimonia, ar-

bitrarique exinde natos esse nobilissimos, Regisque dignari folio. Quin & traditum legimus, Magorum in Perſia ordini neminem fuiſſe adſcriptum, niſi ex filio & matre prognatum (b). Sed mittamus ex Ethnicorum moribus petita exempla. Noto eſt notius, quinam gradus in matrimonio contrahendo Levith. XVIII habeantur prohibiti; quos igitur ne temerare auderet libidinofa hominum petulantia, Principes non pauci, laudabili certe inſtituto, matrimonia in gradibus, his etiam ulterioribus, prohibuerunt, de eo firmiter perſuaſi, quod leges iſtæ connubiales, per Moſen promulgatæ, non eſſent univerſales, ſed particulares ac forenſes populi Judaici, non ex aliqua Juris Naturalis neceſſitate latæ, ſed ex Politica Legislatoris prudentia arceſſendæ; ut, ſpe matrimonii ſublata, aſtupris, quæ ex quotidiano ac domeſtico commercio inter perſonas, neceſſitudine ſibi junctas, facillime enaſci poſſent, præcaveretur. Imo longius ſunt progreſſi Eruditorum quidam, contendentes, legem Divinam de gradibus in contrahendo matrimonio prohibitis, Principem ac cives ſuos ex æquo non obligare, ſed, exiſtente inter iſtam prohibitionem & rationem ſtatus publici collisione, poſſe Principem illam negligere, ut huic eo magis conſulat. Occurrunt etiam exempla Chriſtianorum Principum, allatam in matrimonio contrahendo ſequentium regulam, nec ſuæ conſcientiæ morſus ob reſpectum parentelæ ita violatum formidantium. Sic Portugalliæ Rex EMANUEL duas ſucceſſive ſorores, ISABELLAM & MARIAM, Hiſpaniæ Regis FERDINANDI Catholici filias duxit, quarum prior Iſabella erat vidua Alphonſi Principis, Regisque Emanuelis Sororis Eleonoræ filius. Atque his deſunctis conjugibus adhuc ſuperſtes Rex Emanuel tertio conjugio ſibi junxit ELEONORAM, quam duarum priorum conjugum ſoror JOHANNA ex Philippo Auſtriaco, ſuo  
per-





perperat conjuge. Hodierna quoque Portugalliæ Regina MARIA I. conjugem habuit suum Patruum, Regem PETRUM, horumque filius primogenitus, JOSEPHUS thalami sociam assumserat suam materteram, Principem MARIAM Franciscam Benedictam. Quocirca si quis forte opinetur, hos Principes Canonicas parum curasse constitutiones, is non vana præsumit; at quod leges prorsus despexerint Divinas, suis amoribus & rationibus Politicis unice intenti, ut credam, a modesta, quam profiteor, Philosophia impetrare non possum. Caterum ista matrimonia, quæ rei publicæ commodis subnixæ esse venditantur, notanda magis sunt, quam imitanda; *trahit enim ab iniquo omne magnum exemplum*, ut loquitur TACITUS, *quod contra singulos utilitate publica rependitur* (c).

- (a) *in libro de specialibus Legibus p. 778.* (b) Vid. *BEC-MANNI Polit. Paral. C. 7. §. 7.* (c) Vid. *Annal. Libr. XIV. c. 44.*

## §. XII.

Verum incesta habentur connubia, non ea solum, quæ inter parentes & liberos, sed etiam quæ inter fratres ac sorores obtinent, quare quum eadem legis dispositio eandem supponat ejus rationem, fundamentum hujus interdicti in respectu parentelæ latitare, quis forte suspicari posset. Operam vero luderet quisquis rationem interdicti in posteriori casu allaturus reverentiam, respectui parentelæ analogam, citare vellet. Unde enim ejusmodi respectus derivandus, & quisnam conjugum hunc postulare posset? Profecto is ab ipsa generatione non provenit, nec ab educatione, quam liberi utriusque sexus suis acceptam referunt parentibus, tertium autem idemque generale venerationis motivum ne fingi quidem potest;

est; ex quo videlicet tantus inter fratres & sorores derivandus esset respectus, quantus eis, conjugium contrahere forte volentibus, naturaliter obstaret. Imo quæri in universum potest: an connubia inter fratres & sorores, utut illicita, ex sua indole legi Naturali plane repugnent? Quod salva negamus fronte. Quum enim Deus O. M. vi sanctitatis suæ nullam legis Naturalis admittere possit dispensationem, seipsum alioquin abnegaturus, ipse autem liberis Protoplastorum necessitatem induxerit, matrimonio se jungendi, ne genus humanum in suo extingueretur primordio, sequitur, fratrum ac sororum conjugia legi Naturali absolute ac necessario non repugnare. Quis enim, quæso, secum habitans, contendere ausit, sapientissimum Numen medio, in se illicito, ad finem maxime licitum, propagationem videlicet generis humani, fuisse usum? Nec eorum horrescimus impetum, qui ex pudore naturali, quo fit, ut fratres sorores suas, licet pulcherrimas, raro depereant, argumentantur, harum personarum connubia Juri Naturali esse adversa; docet enim experientia, quod sicut corporis nostri dispositio multum variet, ita non raro aversemur res bonas & appetamus malas; adeoque valde falluntur, quotquot ex mutabilibus nostris sensationibus immutabilia Juris Naturalis præcepta arcescere satagant. Averfatio autem fratrum ac sororum in negotio matrimoniali causis præcipue nititur moralibus, cum quod similtates partim ex invidia, partim ex affectata præstantia ortæ, inter eos a teneris inde soleant intercedere, unde communi dicitur proverbio: Fratrum concordia rara, tum quod sorores sciant, sua cum fratribus connubia honesto nunquam conglutinari matrimonio, sed ex tenore legum civilium severissime puniri: vix ulla autem datur puella, nisi mera despumans libidine, quæ se viro cuidam permittit, cum quo nullum sperare potest con-



connubium. Denique si vel pudore vel aliis causis naturalibus a conjugii arcerentur fratres & sorores, profecto viri, sincera in Deum pietate inclyti, talia sibi non permisissent fœdera, nec eadem ex auctoritate legum civilium apud cultiores nationes fuissent indulta; quorum tamen utrumque nos satis docet Historia. Ex Scriptura Sacra enim constat, quod Patriarcha ABRAHAMUS, Pater ille fidelium, uxorem duxerit SARAM, sororem suam germanam, ex eadem patre, sed diversa matre prognatam. Quum itaque nullum plane sit dubium, quin Abrahamus moralitatem sui conjugii & expenderit & perspexerit, ipse autem hanc suam sororem ad finem vitæ ejus retinuerit thalami sociam; probabile est, ejusmodi matrimonia ante legem Mosaicam promulgatam in populo Israëlitico licita fuisse habita. Alterum huc suo modo spectans exemplum est Amnonis Regis Davidis filii, Thamarum sororem suam itidem germanam comprimentis, cujus exæstantem ardorem ut restingeret innocua Princeps virgo, ac vim, suæ imminentem pudicitia, declinaret, fratrem ita alloquitur: *Loquere cum Rege, & non negabit me tibi.* Aut vanum hoc erat solamen, aut connubia fratrum cum sororibus germanis in republica Israëlitica pro incestis non semper habebantur. Similiter ex institutis, quæ Athenis viguerunt, fratribus in matrimonium ducere sorores suas germanas fuit licitum, non vero uterinas. Sic, ut alia reticeam exempla, CIMON, MILTIADIS filius, in matrimonio habuit ELPINICEN, sororem suam germanam, *non magis amore, quam more ductus*, ut loquitur *Cornelius Nepos*. Quamvis autem vitiofitas connubiorum inter fratres & sorores ex legi Naturali non possit directe demonstrari; manifesto tamen eadem repugnant legi perfectivæ; siquidem partim coarctant quasi pomœria socialitatis, intra unius vel alterius



stirpis ambitum ex intentione Dei non mansuræ, sed ad alias aliasque, quantum commode fieri potest, familias extendendæ, partim quoque occasionem præbent scortationibus, per frequentem liberorum & quoties fere ipsi exoptant, a moleste sedulis vacuum arbitris conversationem, existituris (a).

(a) Vid. *J. D. MICHAELIS Mosaisches Recht. tom. II.*  
§. 108.

§. XIII.

Luculenter, ut putamus, in antecedentibus ostendimus, ex respectu parentelæ, in æquitate licet naturali fundato, sufficientem non peti rationem prohibitorum tam in eadem linea, quam in primo gradu lineæ collateralis æqualis matrimoniorum; quare quum a majori ad minus heic valeat conclusio, firmiter concludimus, nec in eodem respectu idoneam contineri rationem prohibitorum in gradibus ulterioribus conjugiorum. Illi enim, qui parentum vicem sustinere dicuntur, ut Patruus, amita, avunculus, matertera etc. alium venerationis, a fratris vel sororis liberis postulatæ titulum non afferunt, quam cognationis vinculum, sibi cum horum parentibus intercedens. Incestum vero dum habetur matrimonium inter personas in secundo gradu lineæ collateralis inæqualis, quod expressis etiam verbis prohibetur Levith. XVIII: 12, 13 XX: 19, hujus interdicti eadem esse videtur ratio, qua fratrum & sororum conjugia censentur illicita, scilicet quod scortationibus ac stupris facilem præbeant occasionem, studio quantovis parentum aliorumque vix præcavendam.

§. XIV.

Postquam etiam in suum induxerunt animum Eruditorum non pauci, præceptum de vitandis inter personas vin-

vinculo affinitatis inter se junctas connubiis esse universale, ac proinde ex lege arcescendum naturali, rationem hujus quoque interdicti præcipuam citant respectum parentelæ, per ista omnino imminuendum matrimonia. Quum autem illi satis perspicerent, respectum illum in casu memorato nec a generatione neque ab educatione posse derivari, argute sunt commenti, reverentiam illam mediante pacto matrimoniali induci, quippe quo generalis quædam jurium & obligationum inter conjuges constituitur communicatio, adeo ut reverentia ex consanguinitatis vinculo uni conjugi debita, impedimento etiam sit, quominus post ejus mortem conjux superstes cum proximis defunctæ conjugis consanguineis matrimonium contrahat. Enimvero quum præterita illa jurium & obligationum communicatio ex propria matrimonii indole deduci nequeat, satis patet, eam non ex Jure Naturali, sed ex legibus derivandam esse positivis. Æquum præterea videtur, si mediante matrimonio ista constituatur jurium & obligationum communicatio, hanc etiam, matrimonio per alterius conjugis mortem soluto, cessare debere, & proinde impedimentum personis affinibus, quominus matrimonium contrahant, objectum simul tolli. Insuper respectus parentelæ ex genuina sua indole concernit solummodo personas, quæ communem agnoscunt stipitem, adeoque ejusdem applicatio ad eos, qui affinitate se contingunt, ex auctoritate legum positivarum tantummodo valet. Quibus addimus, quod quum respectus parentelæ non sit fundamentum naturale satis validum prohibitorum inter consanguineos matrimoniorum, nedum ille valebit ad discernendam moralitatem conjugiorum inter affines. Unicam his annectimus observationem, quod semel tantum respectus parentelæ in Codice FRIDERICIANO G. B. C. 2. §. 8. occurrat mentio,



ipſa æquitate rationem interdicti poſtulate: Ej må Son-  
taga modren, då Fader hans lefver, och hafver dottren,  
at vördnaden emellan Föräldrar och barn ej ſpillas må.

§. XV.

Nec hoc loco prorfus eſt reticenda illuſtris contro-  
verſia, occasione matrimonii, quod gl. m. Rex Svethiæ  
GUSTAVUS I. cum defunctæ ſuæ conjugis MARGARE-  
TÆ ſobrina, CATHARINA STENBOCK iniiit, agitata. Quæſi-  
tum ſcilicet, vel rectius magno animorum motu fuit di-  
ſputatum: an matrimonium cum defunctæ uxoris ſobrina  
eſſet licitum, & ſalva contrahi poſſet conſcientia? Hoc  
conceſſo, periclitari videbatur reſpectus parentelæ. Enim-  
vero argumentis non philoſophicis, ſed ex Scriptura Sa-  
cra depromtis nodus ambigux illius quæſtionis tunc erat  
ſolvendus. Eccleſiæ Svecanæ Præſules, hanc præcipue  
diremturi controverſiam, fateri quidem cogebantur, ma-  
trimonium nominatum in Sacro Codice expreſſis non  
prohiberi verbis, per analogiam vero juris ſequi, illud  
eſſe illicitum. Summa claſſici eorum argumenti huc re-  
dit: ubi idem gradus, & eadem ratio eſt, ibi & par eſt  
prohibitio & conſtitutio ſimilis; ſed Levith. XVIII. 14.  
prohibetur matrimonium cum patru uxore; ergo ob  
paritatem gradus matrimonium cum defunctæ uxoris ſo-  
brina habendum eſt prohibitum; ut alia minoris momen-  
ti argumenta ſilentio prætereamus. Contra hæc urgebat  
Superintendens Generalis GEORGIUS NORMAN: ea ſo-  
lum matrimonia pro illicitis eſſe habenda, quæ in Sacris  
Litteris expreſſe prohibeantur, quale non erat Regis con-  
jugium: Legem de gradibus in matrimonio contrahendo  
prohibitis eſſe particularem, populo Judaico peculiariter  
præſcriptam; talia conjugia ſine cenſura fuiſſe alibi per-  
miſſa:



misfa: nec conscientiaē injiciendum scrupulum propter a-  
ctus, de quorum moralitate ex verbo Dei nihil certi  
constaret (a). Addi his posset, quod quum matrimonium  
cum uxoris sorore in casu tantum existituræ polygamiaē  
Levith. XVIII: 18, videatur prohibitum; multo minus  
matrimonium cum defunctæ uxoris sobrina censerī de-  
beat interdictum. Tanta autem lis componi non potuit:  
Rex peramatam in matrimonium duxit Catharinam, cle-  
ricorum plerisque suæ tenaciter inhærentibus opinioni;  
spondentibus tamen, se meliorem in partem conjugium  
illud interpretaturos, nec ex eo occasionem arrepturos,  
Regi molestias quasdam creandi.

(a) Vid. *Monumenta Polit. Ecclesiast. Palmskjöldiana a  
rev. CELSIO edita p. 93. seq. itemque rev. CELSII  
Hist. Gustavi I. Tom. II. p. 303.*

§. XVI.

Quas in medium hætenus attulimus observationes  
pro ostendendo respectus parentelæ in matrimoniorum  
moralitatem influxu, eo non sunt trahendæ, quasi ince-  
stis connubiis ullo obstetricari vellemus modo: absit a  
nobis quam longissime ut quidquam meditaremur, vir-  
tutibus ac morum sanctitati, cui ne quid vel directe vel  
accidentaliter noceat, cordato cuivis curæ cordique erit,  
contrarium; ostendimus solummodo, ex respectu paren-  
telæ idoneam ac sufficientem non depromi rationem pro-  
hibitorum matrimoniorum inter personas, proprioribus  
cognitionis & affinitatis gradibus junctas. Quamvis au-  
tem in fundamento horum interdictorum eruendo no-  
stra hæreat ratio, nec prohibita connubia videantur esse  
obje-

